



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 72. Sepulvedæ apologia pro Hispanis Indos divexantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

reddidit, quinimo librum etiam edidit, cui ^{Sæcul. XVI.} A.C. 1548.
 titulus: *De oppressione Indorum*. Hic liber
 Hispalensibus literis Anno post Christum
 natum millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo secundo excusus a Valliso-
 letano Collegio ad S. Gregorium, nec-
 non a Salmanticensi, ac Complutensi
 Universitatibus fuit approbatus, de-
 mum vero ad diversa idiomata trans-
 latus.

§. LXXII.

*Sepulvedæ apologia pro Hispanis In-
dos divexantibus.*

Ceterum hic Episcopus hac sua lucu-
 bratione unice intentus erat, ut so-
 lide confutaret rationes cujusdam Do-
 ctoris nomine Sepulvedæ, qui a non-
 nullis Hispanis, Indos tanta Tyran-
 nide affligentibus sollicitatus erat, ut
 suæ Nationis causam strenue defenden-
 dam susciperet, ac præprimis affirma-
 ret, quod ea agendi ratio divinis æque,
 ac humanis legibus consona, bellique
 juribus innixa esset, præcipue cum ju-
 stæ in hosce barbaros hanc severitatem
 exercendi rationes Hispanis minime de-
 sint, dum illi fidem Christi amplecti re-
 nuunt, eo quod summus Pontifex hasce
 gentes Hispanorum potestati ea tantum
 lege subjecisset, ut illas ad Christiano-

Sæc. XVI.
A.C. 1548.

rum sacra perducerent, pari ferme ratione, qua Dominus Deus terram Chanaan, illiusque incolas Israelitarum potestati subdiderat, ut ipsi cum illis agerent, prout eis bene visum fuerit. Paucis; inquit hic auctor, quamvis Hispani hanc erga Indos agendi rationem tenuissent, nihilominus eorum Regnum, ac incolas jure possident, cum ditiones etiam absque titulo, ac justitia possessæ temporis lapsu præscribantur. Porro ut iste vir huic suæ sententiæ ab Evangelii Doctrina, atque Apostolorum gestis adeo dissonæ, majus robur adderet, affirmabat, quod unice propugnare intendat ea jura, vi quorum Legionis, ac Castellæ Reges Indorum ditiones occupandi facultatem habent. Hunc suum librum regio Senatui pro obtinenda impressiois facultate obtulit, & quamvis Senatus ei hanc potestatem sæpius denegaret, eam tamen summis precibus efflagitabat, cum autem jamjam librum prælo subicere pararet, Chiappanus, ac Segobienfis Præfules sese huic ausui vehementer opponebant, eoquod in ejusmodi libro omnes crudelitates, quibus Indi vexabantur, tanquam æquissimæ jactarentur, indeque funesta admodum mala consequi possent.

§. LXXIII.